



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. L. Palma.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER L.

DE IIS, QUÆ PER PALMAM ET LAV-
RUM SIGNIFICANTUR,

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD HIERONYMUM FRACASTORIUM.

Quamvis parva admodum inter nos consuetudo fuerit, eoque secessu Olivetano Veronensis agri, quo mihi per continuum triennium frui temporum eorum permiscere quies, dumta Verone tua, ego tibi meis tum studiis tum negotiis incumbēbam, vix ter facultas data, ut esse una possemus; neq; ante te Patavii, quo me ad Philosophia studia contuleram, videre licuerat, quod inde paulo ante discesseras, quam ego advenissem: tua tamen te virtus in mihi ex eo tempore conciliaverat, ut quem ob summum ingenium summamq; doctrinam plus te uno diligerem, ex eo tempore conciliaverat, ut quem enim voce commendationeque politissimis literis, & liberalium omnium artium studiis florebas, clarusque & celebris habebare: unde meus erga te, quem adhuc ex facie non agnoscebam, capiti cultus, qui mox comestate accrevit simul, majoribus scilicet in dies ad virtutem profectumque tuum additis incrementis. Ab eo vero tempore, quo bella illa calamitiosissima, tam aspera, tam continua, non modo ex tranquillo secessu exturbaverunt, verum tota etiam patria expulerunt, quamdiu foris profugus errabundus inops vixi, sui semper memor, atque sollicitus sui, quod vicem etiam tuam, & honorum omnium ingeniscebam, & ubi ubique locorum cives tuos dispersos etiam ipsos comperissem, nunc per Aligeros fratres Petrum & Ludovicum, nunc per Alithaum, Zavarisum, Turranos, nunc per alios amicos tuos, quos doctrina nomine veneror, curam ut meus erga te amor tibi fieret perfectissimus: idq; officii ab aliquibus ex his mihi non indiligerent proferri confido. Sed quoniam vel his testibus tam locupletibus mihi nondum satis faciebam, decrevi tandem quaqua ratione possem aliquo hujusmodi mei erga te animi signum manifestius exhibere. Igitur cum labores meos in Ægyptiorum hieroglyphica explicanda recenserem, plerag; id genus commentaria in amicos distribuere, tuq; non in postremis esses plantas duas insigniores elegi, Palmam & Laurum, & aq; à nostratibus longe diversas, ex Ægyptiorum quippe lucis à me primum in Italiam translatis: quas tibi dono mitterem, Palmam quidem, ob sublime illud ingenium tuum, quod ad excelsa quæque prospero eventu sese attollere contendit, cuius erectus pennis toto primum caelo Epicyclos summo vixisti, tot que priorum Astrologorum machinas demolitus, facilem & permeabilem Planetis viam complanasti. Laurum autem, quia tu, re optime in caelo gesta, ad infima mox terra loca descendisti, tanquam Hercules, alter triumphabundus: sed qui in superiore orbem non ut ille, de visceribus terræ Cerberum traxeris, qui aconitum ad mortalium perniciem evomeret, sed ab Antipodibus Siphylam illam tuam admirandi vigoris plantam asparares, qua morbis omnibus tam cognitis, quam incognitis, presentanea remedia, & incolumitatem efficacissima conferret. Quod vero ad plantas attingere spero eas à te benigne suscipiendas, de que earum surculis amicitia nostra fraternitatem colligari posse, quam diuturnam perpetuamque fore mihi persuadeo: quia meus erga te amor, cultus, & observantia, talia mihi pollicentur; tuque ut ameris ac omnibus, ingenii, doctrinaque tue monumenta, uno Doctorum omnium ore celebrata deponant: quorum quidem operum, studiorumq; tuorum omnium felicitatem agnosimus, & omnium posteritati celebrem & illustrem fore plurimum & ex animo gratulamur.

DE PALMA. CAP. I.

Palmæ significata plurima traduntur, quorum præcipue quatuor ex gravissimis authoribus legitur visum est: quippe annum, mensē, justitiam sive æqualitatem, atque victoriam: quorum significatio

significatum causæ diligentius examinanda sunt. Reliqua, utpote manifestiora, sponte nulla sollicitata cura provenient.

ANNUS MENSISQUE. CAP. II.

Causa vero cur annus Palma significaret, tres esse perhibentur, eaque omnium primâ: quod sola omnium arborum per ortus Lunæ singulos, ramos singulos progenerat. Atque ita etiam significatum mensis observaverunt, ut per singulos Palmæ surculos, menses totidem adnumerarent. Par itaque ut si annus exprimi debeat, Palma duodecim ramis prædita figuretur. Sedenim, etiam hæc non adfuerit curiositas, annum omnino significabit, vel quantum ad mensem attinet, quod in officulis ejus ea maxime figura expeteretur, quæ lunata esset, quam contra fascinationes pollere plurimum arbitrabantur. Lunam autem maxime cavam, qualis est cum o&o & viginti dierum numerum explevit, cornibus scilicet inferne dejectis, mensis indicium esse in cælestibus loco suo dictum. Dianæque ipsa apud Homerum Apollinis hymno, mensis & annis arbitros paritura, Palmam amplexata describitur. Altera causa est, quod Palma, uti Babylonii tradunt, referente Plutarcho, trecentas & sexaginta utilitates mortalibus elargitur, ideoque anni simulacrum & insigne: tot enim diebus annus constat, intercalaribus quinque, de quibus in Vulture, subductis. Alia ratio est, quod palmæ factus quatuor ex lignis, sive Ossa ea maluerimus appellare, quæ, uti paulo ante dictum, in ejus fructibus insunt, fieri solet, quæ bina juxta composita subter, binaque superne colligantur, pronaque omnia feruntur, quorum inde radices amplexu mutuo connectuntur, atque ita primi ortus promiscui coalescunt, & unus ex cunctis caudex conficitur.

Annus quoque solaris quatuor qualitatibus constat, quæ tamen ita mutuo connecti videntur, ut fallente de die in diem qualitatis ipsius mutatione, unus quasi caudex fieri videatur.

TEMPORIS DIUTURNITAS.

CAP. III.

Non dissimulabo quasi *πρόσπερον*, quod Quintius Græcus author asperum quendam locum, & admodum editum, superatque perdifficilem ponit, in cujus vertice Palma confurgat, cujus in cacumine insideat virtus: ex montis utique asperitate labores varios, ex Palma temporis, ut Hesiodi interpres ait, diuturnitatem innuens. Non enim putabat quempiam ad perfectam aliquam virtutem pervenire posse, nisi per labores, quos diu tolerasset. Temporis autem diuturnitas quo convenientius signo figuretur, quam per id, quod anni & mensis habetur hieroglyphicum adeo manifestum? Sententiam hanc ita sibi desumpsit Quintilianus: *Definit in adversa nisi qui pervenit ad summum: scandenti circa ima labor est. Quod nos in adolescentia ita retulimus:*

*Incipit oppositam pedibus qui reperere molem,
Eximio superat grande labore jugum.
Ut tenet ac rei placidissima culmina montis,
Languida felici membra quiete levat.
Passus amaritiem rigida mdicis acerbam,
Molliculi glutii dulcia mella savi.
Hoc sophia asperioris iter, Superantule, pergat,
Dummodo post fellis pocula necliar habes.*

*Exat in
Epigram-
matibus
Pitrii.*

ÆQUALITAS. CAP. IV.

Æqualitatem vero ea de causa significabat, quod cum initio Soli dicata fuerit ante Laurum, gravissimi auctores asserunt, & Phæbum, & victores hac, non alia quapiam arbore coronari solitos. Quæ cum æquale esset victorum omnium præmium, æqualitatis inde symbolum assecuta est. Sane Plutarchus & Pausanias auctores sunt, Palmæ pretium, qua multis in certaminibus victores æque coronarentur, à Theseo primum institutum, cum à Creta reversus in Delum applicuisset, & Apollini ludos edidisset. Sive ea de causa sit excogitatum, quod arbor ea foliis sit maxime æqualibus, ideoque victoribus conveniret, quod æqua eorum laus atque præmium esset.

JUSTI-

Palma proprietates varia. Semper folia habens & unguentum perperua. Cuius sua folia firmiter manent, & folia non amittens. Pl. 91. 9. 13.

Fructum præterea reddit pari cum foliis æquilibrio, atque hinc iustitiam significari voluit. Præter hæc incorrupta est Palmæ materies, ac propemodum senii nescia, perinde ac decet incorruptos esse, neque umquam temere flecti aliorum quorundam arbitrio, Iustitiæ administratores. Felicitatem etiam ἐμπεδός Φύλλον appellaverunt, cum & Laurus, & Oliva, & Myrtus, ac aliæ quædam, quibus est perennis foliorum viror, succrescentibus aliis priora decuciant. Eademque immobilitas expetitur in Iustitia. Quod vero ponderibus resistat, & in adversum incurvetur, facere idem Iudices debent, atque reluctabundi, seductores, pellacesque omnes detrectare, neque violentiæ cedere. In hanc sententiam Levitico celebrandis feriis xv. mensis septimi, Palmarum furculos, quos Græci spathalas à gladii forma vocant. Legislator fumendos præcipit. Theologi per eos juvenescencia Iustitiæ germina interpretantur. *Iustus enim*, ait Psalmographus, *sicut Palma germinat: propterea quod nihil est in universa Palma, quod respui debeat, ita tota ab intima medulla ad extremum usque folium humanæ necessitatis usibus est commoda, idque multipliciter, perinde ac in illis, qui iuste vivunt, nihil reperias, quod non undecumque utile sit ac commendabile.*

SOL. CAP. VI.

Neque quidem ea de causa tantum Palma Solis hieroglyphicum est, quod anni vicissitudines referat, quantum quod figuram solarium radiorum imitari quodammodo videatur. Unde sacerdotii veteris autores, qui (ut Proclus ait) à rebus apparentibus superiorum virium cultum adinventerunt, ab hac similitudine solare quid in Palma esse arbitrati sunt. Et apud L. Apulejum legas, mystico eo sacro quo initiabantur Isidi, caput ad solarium radiorum similitudinem ostendendam, Palmæ candidæ foliis in modum radiorum profidentibus redimitum.

VICTORIA. CAP. VII.

Lib. 7. Problematum A. Gel. lib. 3. cap. 6. Pluta. l. 16. c. 424. Neroni numus Suetonius in Augusto c. 94.

Victoriæ demum in Palma significatum, ex numis, picturis, sculpturisque omnibus universæ iam plebeculæ manifestum est. Eaque elocutio toties usurpata Ciceroni: *Docto Oratori Palma danda est. In quadrigis qui Palmam primus acceperit. Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent, & similia.* Et causam multi prodidere, præcipue vero Plutarchus Symposiacè in octavo: quum etiam posuerat Aristot. nempe si super arboris eius lignum, magnum quantumlibet pondus imponas, Palma minime deorsum cedit, nec infra flectitur, sed adversus pondus refurgit, & sursum nititur in contrarium fornicata. Eaq; de causa in certaminibus Palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam, uti dictum est, ingenium ejusmodi ligno est, ut urgentibus prementibusque non cedat. Videre vero est Palmam caudicibus sursum versus collectis in pumo Neroniano, ubi idem ipse Aprum impetit veru, victoriæ nimirum, quam de confecta fera consecutus esset, hieroglyphicum. Et felicitis augurii causa Augustus Palmam inter juncturas lapidum enatam ante domum suam, in compluvium deorum Penatium transtulit, utque coalesceret magnopere curavit, Cæsaris factum secutus, qui castris locum capiens, inter sylvas, quas cædebat, repartam Palmam conservari ut omen victoriæ iussit. Adhæc Cæsariæ victoriæ adversus Pompejum in Pharsalia prælio commisso Trallibus Palma ostentum dedit, exorta repente eodem ferme tempore, quo hæc gesta sunt penes Cæsarianam statuæ basin, quæ in templo Victoriæ dicata erat: quamvis omnis circa statuam locus natura solidus, & durissimo lapide intratus esset: atque hujus generis ostenta multa apud veteres memorantur. Minime vero prætereundus est numus æreus cum ingenti Palma, eaque dactilis facunda, cujus inscriptio est AL.Æ. quæ dubio procul victoriam Alexandriæ Ægyptiacæ significat: quod ut magis explicetur, ab alta faciè spica est cum inscriptione, ΚΑΙΣΑΡΟΣ.

JUDÆA. CAP. VIII.

Defumuntur hieroglyphica plerumque à rebus quas egregiè aliqua regio ferat: ut Cyrenica per Silphium, quod in Batti numis cūsum videas. A palmarum vero feracitate Judæa ejus arboris pictura significatur. Sane in Titi numis passim videre est ejus provinciæ simulacrum arbori Palmæ adalligatum, cum inscriptione, JUD. CAP. Ubi vero inscriptio est Cæsaris Vespasiani, atque hinc

A dem JUDÆA CAPTA, in cæsta sedet ipsa manu quasi faciem complodens, adstat ipse juxta Palmam. In alio cum eadem inscriptione signum est, quod dextera alte innititur pilo, lava sceptrum gestat, lavumque pedem jacenti galeæ superponit.

JACTURA. CAP. IX.

Contra vero, vel dejecta, vel casu aliquo vitata, jactura imminentis prodigium habebatur: vel <sup>Palma a-
nea Arbo-
minsum.</sup> Cui ænea illa, quam Athenienses in Delphici Apollinis templo dedicarant, rei adversus Medos feliciter gestæ monumentum. Paulo ante quam adversus Syracusanos moverent, in faultæ signum expeditionis fuit: quod ejus fructus, qui ex auro constabant, Corvi, alites inauspicatæ, pluribus diebus impetierunt, eosque partim devorant, partim dejecerunt.

NUPTIÆ. CAP. X.

Sed cur nuptiarum etiam significatum in palma dissimulemus? qui picturâ hujusce rei tam elegantem legerimus apud Philostratum, Imaginibus, qui paludibus & fluviis hoc superaddit ornamentum, Palmarum quippe veluti fornicibus ductum, pontem fluvio superinjectum. Nam cum Palma <sup>Palma, ma-
ri & femi-
na amor.</sup> rum alia mas, alia femina sit, invicemque maritali quadam copula conjugentur, maresque attrahant ad sese feminas, neque illæ congressum, quantumcumque admitti possunt, aufugiant, sed ultro ramis ab utraque vicissim contra ad osculum quodammodo exporrectis, manifesta dent mutui desiderii signa, is duss, & hujus scilicet & illius sexus Palmas in ripis fluvii oppositas è regione statuit. Hic vero mas amore correptus plurimum incurvatur, atque sese supra fluvium protendit. Femina vero, quantumlibet procul sita sit, neque apprehendi possit, inclinatur tamen, & obsequii quoddam & ipsa studiū præ se fert. Aquam itaque quodam veluti ponte conjungunt, difficili tamen & inaccessio transitu, propter foliorum asperitatem. Hanc utique speciem ex Philostrato qui pinxerit, nuptiarum & conjugalis amoris hieroglyphicum, ex ipsius naturæ gremio desumptum, summa etiam cum venustate descripserit. Quo vero major huic argumento sit fides, eam palmarii diligentiam adhibent, ut mares eo saltem intervallo à feminis distent, ut pulvis ventorum flatibus à foliis sublatus in fecminarum folia incidat, quod satis ad fecunditatem facere compertum est. Sed mirum dictu, quod si qua procul, à mare abstiterit, ut neque pulvis, neque aura, odorve ejus ad eam permeare possit, excogitaverunt coloni funem à mare religatum ad fecminam usque producere, atque ita quasi maritali vinculo copulatam, masculo viri clanculum pro funem irrepente fecundam fieri, quæ prius in ea sterile secebat solitudine. Diophanes auctor Græcus, Florentinum citat, qui suis in Georgicis multa de Palmæ amore conscripsit, contabescere eam maris desiderio, quod nulla dissimulatione profiteatur, modo radices versus eum porrigens, modo verticis in eum proclinatione, fructum ferre pernegando, agricolamque demum cogi amantem huic investigare, qui multas Palmas mares manu amplexuque contingat, mox ad amore peritum rediens, eam amplexetur, attrectetque manibus. Flores quoque mari prius impositos tollat, & supra fecminæ verticem imponat. Quæ ne quis fabulosa suspicetur, illiusmodi amoris exemplum atque conjugii nostro dedere tempore. Siquidem vir clariss. Jo. Pontano, homo minime futilis, & quem fabulas pro historia, de re maxime suo tempore omnibus conspicua, scribere puduisset, duas celebrat Palmas, marem unum Brundusii, fecminam alteram Hydrunti, quæ diu steriles permanserint, donec scilicet paulatim succrescentes, nondum alteram altera contueri poterat: ubi vero tantum a-
<sup>Quinetiam
Addit Plin.
lib. 17. c. 4.
Ad hoc est
Veteris in-
tellectus ut
coitus etiã
excogitatus
sit ad homi-
ne, ex mari
bus flore &
lanuzine,
interim ve-
ro tantum
pulvere in-
sterso fe-
minis.</sup> dolevere, ut sese in vicem conspicere potuerint, longo quantumlibet multorum stadiorum tractu distantes iustificare ceperint. Sed cur non ipsum audiamus?

Brundusii ^{Arbor} Arboris longe viret ardua terris

Abor, laudatis usque petita locis.

Alteram Hydruntinis in saltibus amula Palma,

Illam virum referens hæc muliebre decus.

Non uno crevere solo, distantibus agris,

Nulla loci facies, nec socialis amor.

Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor

Utique frondosa & sine fruge comia,

Ast postquam patulos suderunt brachia ramos,

Cepere & calo liberiore frui.

Frondosque apices se conspexere virique

Illam sui vulvis, conjugis ille sua:

Hausere & blandum venis sitientibus ignem,

Optatos fetus sponte tulere sua:

Ornarunt ramos gemmis (mirabile dictu)

Implevere suos melle liquente favos.

Est idem amor in pistacis, ex quibus semina cum panguntur, mas & femina committi debent con-
iunctis naturis, ita tamen ut mas ad Favonium, dorsum vertat, ut monet Demageron.

INNOCENTIA. CAP. XI.


Cantic. 7. **N**E vero nostratia prætereamus, in sacris nostrorum literis eo loco ubi, *Statura tua similis jalla*
est palma, legitur, Ambrosius significari ait viriditatem pueritiæ, atque naturalem ejus inno-
centiam, quam à vitæ primordio receperimus, servandam esse, & ut fructu nullo foliorum de fru-
vio suo tempore maturemus, admoneri. Idque de Assertore nostro piorum concentus canere, *Jo-*
sus ut Palma florebit. Tarde vero proficit Palma, sed diu in viriditate persistit, ait Eucherius: in
1. sal. 92. Ecclesia sancta per multas difficultates ad firmum fidei statum venit, auctaque jam & propagata,
statura nimirum diu.

PIORUM VITA. CAP. XII.

Significat & piorum vitam Palmæ species: propterea quod sicut interior ejus caudex & tenuis
est, & corticum scabritie perplexitateque visu minime jucundus: superior vero pars videnda,
tum trunci tum ramorum amplitudine, amœnaque pulchritudine viriditatis
expanditur, ita piorum conditio prima facie contemptibilis videtur, sed in
mirificam demum exit morum virtutumque pulchritudinem. Sed cur non
ipsa Eucherii sanctissimi doctissimi que viri verba subtexam, in hanc senten-
tiam? Habet quiddam aliud Palma, quo à cunctis arborum generibus diffe-
rat. Omnis enim arbor quæ in suo robore juxta terram vasta subsistit, cre-
scendo superius angustior evadit, & quantum paulisper sublimior, tanto in
altum redditur subtilior. Palma vero tenuis ac imo inchoat, & juxta ramos
aut fructus ampliori robore conturgescit. Quibus itaque alia arbusta nisi
terrenis mentibus assimilari possunt, inferius vasta, superius angusta? quia
nimirum omnes mortalium in hoc sæculo degentium delectationes in ter-
renis rebus sunt fortes, in cœlestibus debiles. Pro temporali enim gloria, us-
que ad mortem appetunt desudare: pro spe vero perpetua, ne parum qui-
dem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, & pro
cœlesti mercede vel tenuissimas unius verbi contumelias ferre non possunt.
Ut terreno judici totos dies assistant, fortes sunt: in oratione vero coram
Domino vel unius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatem, vigiliis, fa-
mem pro acquirendis divitiis & honoribus tolerant, & multa se abstinencia
cruciant: quod bis aut semel in hebdomada pati pro salute animi, gravissim-
um ducunt. At contra ex æqualitate Palmarum designantur justii, qui vita
proficiunt, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, & in cœlestibus
debiles, sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibent, quam seculo
fuisse meminerunt. Recte itaque, uti supra dictum, *Justus ut palma florebit*.
Illud addam ex sextis Hebræorum castris apud Hieronymum: *Veluti xii. dul-*
cis aque fontes ad Eilm reperti. xii. indicantur Apostolos, de quorum fontibus æ-
que derivatae, universi terrarum orbis ariditatem assuenter irrigarunt: in Palma
numero 8. pruaginta cibum ostenderunt, quem mortales à totidem secundis Apo-
stolis appositum essent accepturi. Cibus enim doctrina, uti sæpius dictum.
Quoniam vero Crux. Domini, quæ Palma ea est, in quam ascensurum esse
Dominum Prophetæ prædixerant, longo stipite & in altum surrecto, in
transversumque late porrecto fuisse fertur, significasse etiam videtur illud
antea dictum, *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me*: ipsa enim manuum
extensio duos populos, Israeliticum & Gentilem ad Deum trahere, & in u-
num congregare videbatur, ut seniores dixisse scribit Irenæus: non abs re
fuerit, ut piis quacumque ratione possumus satisfacere studeamus, signum id & victoriæ & salutis,
quo pacto pii veteres figurarint, adscribere. Contus erat prælongus, cujus apex in *Gæcæ literæ*
simi-

Justi ex æ-
qualitate
Palmarum
designari.
Nempe Apo-
stolorum
discipulis.
Crucis Chri-
sti hierogly-
phicum,

Joan. 12.



A similitudinem incurvatur: inde paulo infra X, Græca idem talem litera sua insignis decussatione addita erat, id Christi nomen ostentat. Inde qui Crucis signum faceret bacillus transversus, cui velum aut mappula solebat appendi vexilli loco. Hæc duo significant apud Græcos, quorum characteribus signata erant, CHRISTUS PASSUS, aut CRUCIFIXUS. Inde pro delubro pedamentoque aliquo, vas alicujus forma, orbiculis, aut ovis, aut aliis gestaminibus castrensi more altero super alterum suffixis subjiciebantur, in hunc scilicet modulum. Quod ultimo loco subjecimus, forma loculi est, in quem vexilla figebantur, de quo alibi plenius. Agite vero qui signum hoc sequimini, & in eius imperium juratis, salutem vobis atque victoriam inde certissimam pollicemini. Non enim tumultuarium hoc, aut temere concitatae multitudinis fortuitum est signum, quod elementa porro omnia, quod humana omnis natura, quod bruta, qua licet, exprimere conantur. Dissecatur terra punctis quatuor, a quibus ductæ lineæ crucem figurant. Puncta, Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies. Sanctius in ea animal Homo, brachia cum precatur in crucem extendit, vel saltem pectus signat a fronte, ad umbilicū, ut descensum a cælo in terras nostri numinis indicet, mox ableva, a corde quippe ad dexteram papillam (in dextera enim bonorum operum motus) crucem delineat. Per mare vero quæ volitant navigia, si optatum cursum arreptura sint, antennas malo in crucis effigiem applicant: quæque cælum alites secant, passis alis crucem ostentant. Nos igitur faciem & pectus cruce signati, tutius & animosius unumquodque virtutis opus aggrediamur, fluxarum cogitationum inundationes transeamus incolumes, præpetiq; volatu supra cælum attolamur, adminiculo signoque crucis omnia feliciter executuri, stratisq; & superatis dolosissimi hostis infidiis, ejusque conatibus everfis, in Domini nostri cruce tantum gloriati, trophea, more veterum, victoriarumque triumphos ipsa cruce designata suspendamus.

DE LAURO. CAP. XIII.

C Vlgatum illud est, Laurum Apollinis insigne perhiberi, ejusque fronde, Palma jam posthabita, ejus simulacra coronari. Neque tantum ea de causa, quod Laurus in ore palumbi vim medicam indicet, quæ plerisque volucribus præsentaneo est remedio, quantum quia sit, ut Eusebius ait, ignea, ideoque a demonibus maxime odio habetur. Ulta præterea resonat, quod quandam prædicendi vim habet. Ignispicium enim non tantum splendore, verum etiam crepitu portendit, frequentissimo Poetarum omnium assensu. Ferunt vero Empedoclem, qui animam esse igneam stætebat, Lauri natura considerata dicere solitum, si homini sit in animalium quoddam transmigrandum, optandum maxime ut in Leonem transfret: commodissimum enim id animæ quæ hominem incoluit hospitium futurum. Sin vero arbor esset subeunda, in nullam commodius quam in Laurum fieri transmigrationem. Pindarus atque Callimachus Apollinem memorant interfecto Delphico Dracone Lauream induisse quasi supplicem: erant enim supplices coronati apud veteres. Aristophanes dominum & servum oracula consulturos coronatos inducit, Pluto. Quin & Liber Laurum coronabatur, in qua ex Indis triumphasse fertur, diesque in illum solemnes, magna olim corona dicebantur, ut tradit Tertullianus. Laurea itaque Apollini & Baccho sacra, illi ut Deo bellorum, huic ut Deo triumphorum. Quamquam & Myrto milites redimiri soliti: ita Claudius Saturninus, qui librum edidit de coronis. Est et alia ratio cur Laurus Apollini sacra dicatur: legimus enim apud Serapionem Aescalonitam, Lauro ad dormientium caput apposita, vera videri somnia. Id ipsum Antiphonem, Philocrum, & Artemonem, qui de somniorum interpretatione scripserunt, asseverasse comperimus. Neque quidem Eusebii interpretamentum super hoc parvi fecerimus, qui Daphnen ideo dictam ait, quod δα intensiois particula, & ὄνειρον, quod loqui & canere est, in compositionem accedant. Apud Hesiodum interpretes Theogoniz, Laurus ait ἐνεργεῖν ὡς τὸς ἐόντων αἰθέρας. Hinc poetici summatim galea Lauri conum gestabant.

Laurus palumbi per
pluresq; aves
annuum
fastidium
purgant.
Mattheol.
in Dioc. li.
c. 90. Corvus
occiso cha-
malconce,
fronde Lau-
ri decorata,
virus ex-
tinguit.
Mat. ibid.
Laurus vis
Medica.
Ad hoc Ma-
crobi. lib. 6.
Saturn. c. 4.
citans Lu-
ciliam.
Cuius effica-
cia ad afflatum
potest.

VATICINIUM. CAP. XIV.

Vaticina-
tricum plan-
tam. Δαφ-
νη φέρει cur-
diti Vates. 301

Quocirca non imperite Aphthonius Laurum vaticinii symbolum esse dicit, quam *μαυρὸν* Qu-
αὐν Dionysius in præceptis de Panegyricis scribendis appellat. Nam quod Vates *Δαφνη* Qu-
vocatentur, non ex eo tantum, quod ille dixerit, *Laurumque momordit*: & Sibylla apud Tibul-
lum, *Sic usque sacras innoxia Lauros vesbar*, desumptum est, verum etiam ex Sophoclis Cassandra-
centis, *δὲ Φύλλω Φαζόν ὀδύνην πρὸς τὸ σῶμα*, Eodem modo Lycophron, *δὲ Φύλλω Φαζόν Φοῖβα* *λαμῶν ὄπι*. Porro Daphnem puellam, ut Plutarchus scribit in Agide, Pasiphaes nomine Spartani
coluerunt, quæ oracula, ut ajunt, certissima sit dare solita.

CUSTODIA. CAP. XV.

Pro custodia vero Laurum poni, & incolumitatis esse symbolum ex Proclo didicimus, qui veteres
ait Laurum tutelæ consecrassè, & in sacrificiis, & in locis ubicumque vel sata, vel affixa fuerit in-
columitatem præbere; cuius rei non ignarus Ovidius, tutelæ hujus ergo illud de Lauro dixit: *Me-
diamque tuebere quercum*, quod ita mihi libet interpretari, ut ad civicæ coronæ *sospitamentum* &
tutelam statueretur: id quod ex numis quibusdam intellexi, in quibus civica posita est, quam duo
Laurei rami circumplectuntur, non ipsi in coronam deducii, sed ad osculum quodammodo adcur-
vati. Literæ *OB CIVES SERVATOS*. Duo hujusmodi sunt apud me, in quorum uno literæ circumdu-
ctæ, *C. GALLIUS. C. F. LUPERCUS III. VIR AAA. FF.* In altero, *L. NEVIUS SURDINUS. III. VIR. AAA.*
FF. Quid vero sibi velint elementa illa, quippe a triplex, & F geminum, si quis quaesierit, sciat id si-
gnificare, Auro, Argento, Ære, Faciundo. Inveniuntur vero & in Augusti numis, & alibi. Eadem
vero specie civicam eam fuisse crediderim, quam Augusti foribus affixam Ovidius scribit, quamvis
nonnulli arbores ipsas satas putant, quia ita scriptum à Poeta sit:

Numi cum
Lauro ci-
vica.

*Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.*

Idem sibi vult numus argenteus, in quo duo Lauri surculi cum radicibus, in quorum medio erecta
est columna Ionica, supra cuius capitulum carchesium est, in medio parma affixa, cum literis *S. C.*
Nam ab utraque columnæ parte in albo singulatim. Literæ *S. C.* adscriptæ. Altera inscriptio est, *DI-
VUS AUGUSTUS VESPASIANUS*. quod apothecosin ipsam sapit. Sed ex his satis superque est ostensum,
Laurum pro custodia & tutela poni, & eorum, quæ perpetuo sospitari, conservari, ac vivere volu-
mus signum, accedit & illud ad sospitamentum: quod ejus arboris folia fulmen non icit: eaque de
causa Tiberius, cum fulmina cornuscationesq; supra modum expavesceret, caelo turbido Lauream
sibi solitus est imponere, non secus ac eadem de causa Augustus ex Vituli marini pelle cingulum
gestare.

Ideog. An-
thax & di-
lius.
Sueton. in
Tiberio
cap. 39.
Suetonius
in Augusto.
s. 90.

POETICA VIS. CAP. XVI.

Quæ quidem perennitatis aut diuturni temporis vita cum à nullo magis, quam à Poetis ipsis ex-
petatur, merito Laurus una cum hedera, cuius circa vetustatem opus omne, Poetis dedicata
sunt: aliorum enim scriptorum authoribus non tam fama quam utilitas etiam quaesita, sola Poetis
gloria, & victuri nominis cupiditas instat, nec, ut eleganter & vere dixit Ovidius, *petitur sacris nisi
tantum fama Poetis*. Quod vero datum sibi Laureum sceptrum à Musis canit Hesiodus, laborem &
diligentiam scribentis indicat, propterea quod veluti sunt amara Lauri folia: ita virtutis sudor, vel
ipso eodem teste, laboriosus. Unde chartas Cornelii laboriosas Catullus pro magna laude cele-
brat. Nam cum Hesiodus pauperibus fuerit parentibus genitus, virisimile est eum non sine magna
difficultate proficere potuisse. Ita enim Zezes, quod Musæ novem cum Lauro coronarint, labores
& amaritudinem ejus in doctrina comparanda commonstrat.

AUTHORITAS IMPERATORIA ET TRIUMPHALIS HONOS.
CAP. XVII.

Esse vero Laurum insigne triumphantium, non ex eo tantum quod apud Ovidium legitur,
T

*Tu duibus letis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas visent capitolia pompas:*

quantum ex multis veterum monumentis innotescit. Illud quoque satis constat, Imperatores triumphi Lauream ad Jovem Capitolinum ferre solitos, atque eam in ejus gremio relinquere. Laureata vero Imperatorum capita in numis passim habentur. Atque hic non incongruum fuerit ea, quæ de Laureto, unde triumphaturi Laureas sibi decerpere consueverant, memoriæ prodita sunt, repetere. Liviam quippe olim post Augusti statim nuptias Vejentanum suum revisisse, ibique tum illi Gallinam albam, quæ ramulum Lauri rostro tenebat, à prætervolante Aquila, quæ illam rapuerat, in gremio demissam, cumque nutrici alitem, pangique ramulum placuisset, tantam pullorum sobolem provenisse, ut Tranquillus ad sua usque tempora villam eam, *Ad Gallinas*, vocitatem attestetur. Tale vero Lauretum fuit, ut triumphaturi Cæsares inde Laureas boni ominis gratia decerperent. Fuitque mors triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere. Adeo vero Laurus triumphantium propria fuisse videtur, ut observatum sit in hujusmodi Laureto sub cujusque obitum arborem ab ipso institutam elanguisse. Ex quo etiam prodigii causam intelligas, quod Julii Cæsaris eadem præmonstravit, cum pridie Idus Martias avis Regaliolus cum Laureo ramulo Pompejanæ Curia se inferens, à varii generis volucris ex proximo nemore persequentibus ibidem discerpta est. Novissimo vero Neronis anno, in quo Cæsarem progenies defecit, sylva illa Vejentana radicitus omnis exaruit, & quicquid ibi Gallinarum erat, interiit. Tali portento fuit Alexandro Severo Laurus alia ingens & antiqua, quæ in palatio cujusdam civitatis, à qua proficiscebatur, ad bellum quod contra Germanos paraverat, subito collapsa, mortis itidem ejus indicium habita. Contra non temere boni ominis Lauri folia, quæ circa Pompeji fasces illigata fuerant, cum longo itinere per arida & inculta loca jam exaruisent, eo tempore quo in vico quodam Galatiæ cum Lucullo in colloquium descendit, detracta, & à Lucullianis lictoribus recentia & viridia, quæ penes eos plurima erant, liberaliter suffecta: quod summam gloriæ rerum à Lucullo gestarum ad Pompejum transfurum interpretatum est, ut paulo post subsecutum. Et Romæ lamentabunda Luculli vox audita. *Pompejus res meas in Asia gestas elevaravit.*

PURGAMENTUM. CAP. XVIII.

Statu ait Laureatos milites currum triumphantis sequi solitos, ut quasi purgati à cæde humana intrarent urbem. proindeque suffitionibus omnibus Laurum adhiberi solitam fuisse, vel quod medicamento siccissima sit, vel quod omni tempore vireat, boni ominis causa perpetua Reipublicæ viriditas hinc optabatur.

VICTORIA. CAP. XIX.

Quantum ad aruspiciam pertinet, Laurus victoriam aliquando præmonstravit, ut ea quæ in domo Alexandri Severi jam infantuli nata juxta Perficum arborem, intra unum annum Perficum ipsam incremento mirabili superavit: unde Aruspices futurum prædixere, ut puer is olim Perfas evinceret, quod eventu postea comprobatum est: sub eo enim primo Persæ servi apud Romanos fuere. Quare apud Virgilium ex ea desumptum doctrina legas de victore: *Virg. advelat tem. En. lib. 5.*

Notum illud est, solitos esse Imperatores Romanos, re bene gesta literas Lauro revinctas mittere, victoriarum & lætitiæ nuncios, quæ Laureatæ dicebantur, quod in Epistolis ad Atticum & alibi habetur. Hinc Ovidius:

*Non ego villicibus Lauro redimere tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.*

Apud Marcellium, ubi de vanitate Constantii loquitur, suorum ducum victorias sibi adficientis, Laureatas literas missitatas invenies. Quare Plinius xv. Laurus Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumque nuncia, additur literis, & militum lanceis, pilisque. Unde legere est in Pompeji gestis, cum is in Arcadia equestre certamen ageret, ludi gratia, advenisse tabellarios ex Ponto, gestantes jaculorum cupides Lauro coronatas: ex quo læta nunciare antequam literas redderent cogniti sunt.

Mithridatem enim sibi mortem conscivisse nunciaturi venerant. Victores Delphis Pythiis certaminibus, ea peculiariter Lauro coronabatur, quæ Delphica nominabatur, cujusmodi genere & triumphantes Romæ: ea enim longe viridior est, maximis baccis, æque ex viridi rubescentibus: unde nonnulli commentati sunt, in quatuor certaminibus præmiis, quæ recensentur ab Archia, per malum grandiores has Pythiæ Laurus baccas intelligi: de quo apud Lucianum videas de pomis in templo Apollinis decerptis.

JURGIOSUS. CAP. XX.

*Bebrycia
Laurum.*

Quod vero jurgiosum notari per Lauri ramum alicujus manu prætentum nonnulli dicunt, Grecorum commentum est, non Aegyptiorum, idque desumptum ex historia. Nam Bebrycia Laurus erat in Amyci portu, à qua ramum quicumque decerpisset, tamdiu fieri jurgia solebant, quoad abjiceretur: quod traditum est ab Apollodoro lib. primo de Pontificis Heroibus. Sed enim particularia hæc inter hieroglyphica locum non habent, quia necesse est, quod rectè sit exprimentum, id universo generi competere, unde ipsa desumitur significatio.

REMEDIIUM. CAP. XXI.

*De Virtutibus Lauri
Dioscorides
lib. 1. cap. 15.
& ibi Mas-
theolus. Ga-
le. 1. 6. simp.
medica. &
Plin. 1. 15.
Foliorum
Lauri re-
medium.*

Quæ vero de Scipione Laureo memorantur, significare id remedium contra pericula & insidias, quæ à quopiam intententur, ut apud Suidam legitur non ea tantum causa est, quod contra venena pollere Laurus creditur, sed huc faciunt ea omnia, quæ superius recitavimus, ubi tutelam & custodiam per Laurum significari docuimus. Quin & Aesculapii caput Laureum redimitum non alia de causa dicunt, nisi quia ea arbor plurimorum sit remediorum. De medicina vero divinitus revelata, quæ per Lauri ramum aut folium in Columbæ rostro ostenderetur, in Alitis ejus Commentario diximus. Præstant & hordeo condito incolunitatem Lauri folia, si sicca grumis immisceantur aut superne sternantur, diuque à vitio conservant, ut Demagerontis præcepto admonemur, in iis quæ à Constantino Cæsare selecta sunt. Quin Romani, ut apud eundem Cæsarem Laurum boni generis plantam sunt appellare soliti: persuasumque habuere, locum, ubi Laurus esset, neque à sacro ullo morbo, neque à dæmone infestari. Et salutaris ominis gratia folia ipsius à populo Calendis Januarii Magistratibus offerebantur, una cum caricis.

DE CEDRO. CAP. XXII.

*Persius, &
Horat. de
Arte Poet.
Carmina
linenda ce-
dro, ait.
De Cedri
Sivib. Mat-
theolus in
Dioscoridæ
lib. 1. c. 89.*

Ad Palmam & Laurum pro Poëtis, & Cedrum & Myrtum adungere gloriosum est, cum de præstantibus insigne dictum illud proferri soleat, *Et Cedro digna locutus.* Ante alias enim arbores Cedrus æternitatis hieroglyphicum est, quia materia ejus neque putrefcit, neque cariem patitur. Hinc Arca fœderis ex Cedro tabrefacta est. Et Cedro digna loqui dicuntur illi, qui ea scribunt, quæ nulla temporis injuria sint abolitura.

EXCELLENS. CAP. XXIII.

Libi Divinis in literis excelsioris potentia viros indicat, Ps. 92. *Sicut Cedrus Libani multiplici ablatur.* Et 2. Esa. *Confringet Dominus Cedros Libani,* hoc est, potentiores. De medulla vero Libani ablata à Rege barbaro, pro nobilitate protrita, dictum in Aquilæ Commentario. Sed jam ad Myrtum.

DE MYRTO.

GENIUS ET VOLUPTAS. CAP. XXIV.

*Formosa Veneri
myrtus
gratissima. 6
Virg. Ecl. 7.*

Statis quidem exploratum est omnium ferè Foëtarum lætione, Genium & Voluptatem ex Myrto significari. Arbusculam eam omnium delicatissimam ajunt, perpetuo tam virore spectandam, quam foliorum specie, suavissimoque odore præstantem, ut non immerito sit Veneri Deæ omnium delicatissima.

A delicatissimæ dedicata, unde meruerit Pelops Hippodamiam nuptiis potiri certaminis victor auxilio Veneris, quod ei simulacrum ex pullulante Myrto fecisset.

VENUS. CAP. XXV.

Nam qui Venerem pingunt, libenter illi myrteam coronam imponunt, qua coronatam eam in iudicio Paridis astitisse, Nicander ait Alexipharmacis, atque ea de causa huiusmodi arbusculam & Junoni & Palladi odio habitam in posterum. Apud quem animadvertas, Dictynnam Palladem appellari, quamvis glossata quædam aliter exponant. Neque vero dissimulandum, Myrtum Pollux l. r. pudendi muliebris habere significatum, unde apud Aristophanem legas, *ὅδ' ἐστὶν ἄνευ τῆς Ἥρας ἐὼντις*, Nempe à bacca myr- si similitudine. *πρὸς τὴν Ἥραν ἀνοιδᾶς πρὸς τὸν ἄνδρα*, quod ita reddemus: *Neque rem aggredi veram, priusquam Graciam federe junxerimus.* Sed Myrtum Pollux carunculam intra pudendum muliebre ponit lascivo quodam motu interim subsultantem: quo forsitan spectat Aristophanicus ille Hecates fabula. *Ἐν τῷ ἔργῳ τῆς Ἥρας ἐστὶν ἡ μύρτη, ἢ ἡ ἀνοιδία, ἢ ἡ ἀνοιδία, ἢ ἡ ἀνοιδία.* In Commentario Serpenti Hecates fabulam recitavimus, quam multis modis Faunus pater sollicitaverit ad stuprum, cum eam paternæ petulantia reluctanter modo virga myrtea verberaret, modo vini tormentum adhiberet, mox in Anguem conversus spiris totam implicaverit, atque voti compos evaserit. Ibi que virgam myrteam, nequitia imaginationem, vinum mentis hilaritatem, anguem multiplices voluptatis nodos hieroglyphicè significare ostendimus. Nam quod ad Myrtum attinet, En lib. 6 apud Maronem:

*Quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylva tegit.*

OVATIO. CAP. XXVI.

Myrtea vero corona triumphantium militum capiti gestata, rem bellicam sine sanguine confectam significabat: vel cum quid bello non indico per occasionem captum fuerat: tunc enim ovatio decernebatur, non triumphus, atque ita myrtea utebantur corona, facilitatis indicio, cum in triumpho ob victoriam cum labore partam laurea gestari solita esset, de qua superius.

HILARITAS. CAP. XXVII.

Erat & hilaritatis indicium ramus Myrti, quem veteres inter vina alter alteri porrigebant. Mos enim fuit in conviviis eo circulato ramo unumquemque discumbentium ad cantandum excitare. Singuli enim convivarum accepto in manus Myrti ramo, partes canebant suas: quem morem in Symposi. l. r. Symposiacis Plutarchus late disputavit. Et Horatius adveniente verno tempore, quo se undecumque patefacit hilaritas, dum Cytherea choros ducit Venus, decere ait viridi nitidum caput impedire myrto. Atque ubicumque conviviorum latitiam celebrat, coronas è myrto inferri jubet. binc canes e ad myrtum. Paramiog. Ch. 2. cent. 6. pro. 21. Æneid. l. 3.

ARMA BELLICA. CAP. XXVIII.

In prodigio autem, quod ad Polydori tumulum Æneæ sese obtulit, corneis virgultis, & Myrti densis hastilibus, ad evulsionem sanguinem stillantibus, Tib. Claud. Donatus per id genus virgulta, hostilem illic esse locum significari dicit: quippe quod duo ea genera lignorum hastilibus bellicis apta sint proindeque pacis auspiciam nullum illic esse potuisse. Ac per hoc sacrificanti in novæ civitatis causa, portendi, id quod accidit, crudele illic hominum genus, & humano infestum sanguini. Sed enim crediderim ego potius Maronem nostrum locum hunc de sepulchrali myrto mutuatum ab Elpenoris tumulo: quandoquidem Theophrastus ait ad Circeum in Italia locum esse eminenti quodam situ, densissimo variarum arborum nemore, sed arborosis præcipuè myrtis densum, ubi parvus visitur locus, quem incolæ Elpenoris tumulum perhiberent. In eo, qui supini hominis mensuram non excederet, myrtos coronarias nasci, minutis quippe foliis, & odoratoribus quam latifoliæ sint, neque alibi toto tractu eas quam, angusto eo spatio reperiri. Sane Myrtus corona quoque funebris est, de qua Pindarus in Isthumii, ut in Cupresso diximus:

ὅδ' ἐστὶν

Thebis enim qui vicerant Jolea, Myrto coronabantur, ea de causa, inquit interpres, quia funebria est, Jolam enim heroem Thebani colunt, ad cuius tumulum Jolea celebrabant.

AMORIS VULNERA. CAP. XXIX.

*Myrtus fo-
lia habens
perforata.*

Est Myrti genus, quæ folia habet perforata, ea Trezenii latissime provenit: per hanc amoris vulnere, mœroremque ipsum, quo plurimum amantes ex desiderio concipiuntur, significari tradiderunt celebres doctrina viri. Alii (dicenda enim omnia sunt) fabulantur ab acu, quæ Phœdre capillos coercerat, ea foramina processisse: de quo, ut nullam esse fabulam tam ineptam, quæ apud Grecos auctore careat, admoneamur, apud Pausaniam lib. I. videndum.

GANYMEDES. CAP. XXX.

Sunt qui per myrtum Ganymedem referri putent, quod persuasum sit eam ibi latissime natam, ubi puer is pedum vestigia pressisset. Argumento esse locum in Chalcide Harpagium à re ipsa nuncupatum, quod ibi Ganymedem ab Jove raptum fabulantur, ibidemque Myrtos pulcherrimas, atque admodum copiosas nasci. Quod ea de causa à Chalcidensibus confectum ajunt, quod insulares illi impurum genus fuerint, puerillum amorum turpitudini quam deditissimi, pudore omni polluito. Id quoque apud Pausaniam.

PAPYRII VICTORIA. CAP. XXXI.

In numis aliquot aspiciere est Papyrii caput myrtea corona redimitum. Significat id Sardos ab eo in campis Myrteis superatos, ob cuius rei memoriam myrtea ipse corona usus est.

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER LI.

DE IIS QUÆ PER QUERCUM, HEDERAM,
FERULAM, MILACEM ET AMYGDALAM
SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ILLUSTR. HIERONYMUM ROBOREUM
VICINOVI DOMINUM.

Ecce vero tibi Quercus tua, bonantissime Hieronymo, quam ex Ægypto ad vestram tibi dari tantopere cupiebas, neque id immerito, neque temere: nam cum ea arborum validissima vulgo à robore nomen consecuta sit, sive potius vires ipse ab arbore Quercu, quæ robur ipsa est, nomen acquisierit, cui potius dari debuerit, quam illi qui de clarissima Roborea stirpe prognatus, duorum aetate vestrorum maximorum Pont. Sixti IV. & Julii II. illustris gloria, clarissimum quemque, eorum de consue videtur? Nam Sixtus Saona ortus cum veluti postliminio Taurinum veterem patriam studiu florentem revocasset nostrorum tuorum, quos agnatis habebat, liberalitate adjutus, paratam sibi ad Pontificatum viam invenit: multum enim virtute & disciplinis optimis profecit, ut vel ante aetatem primos in congregatione sua titulos sit honorifice consecutus: mox doctrina & prestantis ingenii nomine Sacerdos Card. factus, integritate hominis cognita, nullo negotio fuerit ad summum Pontificatum evectus, ac tum ipse, tum Julius II. qui eò paulo post successit, progeniem, unde fuerant oriundi, honestissimis titulis & honoribus ornaverunt.